



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)



Ad Lectorem.

Panegyricum quàm præfationem huic maluiffem operi addere. Auctorem ex titulo patet habere Franciscum Fenelonium. Is est, quem invitabant Apertæ, ut cum *a* Zenodoto loquar, Musarum Ianuæ; dignus omnino, qui humanioribus litteris hæredem imbueret regni etiam Gallici. Atque hoc quidem præstitit maiore ingenio dicam, an fuaviore furto? Poëta iudice semper doctorem exosa iuventus. Mavult doceri ab alio, quàm cui traditur docenda. Non fugiebat id, quem modò nominabam potiùs, quàm laudabam, Virum. Ergo suavi iucundòque invento egit, ut sibi videretur non ab ipso, sed ab alio, imò & in alio instrui regalis discipulus. Mentorem, à quo; Telemachum, in quo instrueretur, substituit. Erat Telemachus Ulyffis regis Ithacæ ex Penelope filius: Mentor habebatur ex Ulyffis fidiffimis. Illum ergo, patre ex Phrygia cum regibus ceteris non reverso, *b* Homero permittente fingit ex Ithaca in terras exteras ad conquiendum

a

eum

a apud Erasmi in Adag. *b* in Odyff.

P R Æ F A T I O .

eum Mentore duce & comite migrâsse, mira fortis varietate iactatum. Peccaverat hæres regni Gallici? repræsentabatur peccanti peccans eadem & emendans vel dolens Telemachus. Tradendum erat eidem præceptum vel virtutis vel instituti regii? occinebat id Mentor Fenelonio aut interprete aut internuncio. Neque spernere tyro poterat, quæ à Mentore intellexerat dici. Minervam seu Sapientiam persuasum ipsi erat magistro tradente, in Mentoris persona latere.

Et verò hæc illustrissimi Magistri solertia frequentissimæ Europæ tam utilis tamque iucunda est visa, ut omnino sit, quæ magister poëtarum a) miscentibus utile dulci promittit, consecuta. Videas quippe passim mandata seu incisa Æri, quæ illa mandavit chartis. Videas hunc librum transisse Mare; venisse ad Anglos & Batavos, ad Hispanos & Italos; esse in admiratione & deliciis Germaniæ.

At enim non una fingendi solertia, non una præceptorum tam illustrem auctorem fecit utilitas. Addidit plurimum nitor styli, dicendi non magis ornamenta, quàm illecebræ. Fateor & me istis etsi non sine discrimine ita affectum, ut, cum non ignorare cœpisssem, ea in alias atque alias transfusa linguas in omnium ferè manibus versari, honestè, nec sine focio dolerem, nondum, quod meminerim, in Latium eadem typis transisse. Ita paullatim accensa voluntas audendi, quod à calamo peritior cupiebam & decebat fieri.

Et ecce huius voluntatis forsan temerariæ opus, latina & soluta oratione Telemachum! In quo nec omnia omnibus credo placitura nec nihil.

Dictio-

▲ Horat. in art. Poët.

PRÆFATIO.

Dictiones (præter superstitionem) sectabar aureæ ætatis; phrasin plerumque. Stylum cui ex quatuor latinitatis ætatibus accommodare studuerim, tu, Lector, benevolè & eruditè iudica. Sobriam crisin non recuso. Nimiam putere aiunt & infanire. Asper est Sallustius (ita cum Viro ex S. J. mihi amicissimo & eruditissimo visum sentire) gravis Cæsar, simplex Cornelius, lacteus Livius; brevis Velleius, præceptus Florus, incitatus & salebrofus Tacitus; nitidus Curtius, floridissimus Barclaius. Omnes suo loco & tempore digni, quos imiteris: nisi quis velit ex purpurati Richelii sinu Barclaium eripere, atque ex nimis atroci & inter Werenfelsii Meteora referenda Gottschedi a sententia ad moriotrophium amandare. In quo quidem satis obscuro loco hunc auctorem dulcioris narrationis ante hoc tempus neminem litteratum recorder existimasse inveniendum.

Tu itaque, Lector benevole, ad quem ex supra citatis auctoribus vel prope accesserim vel proximè, statue. Asper sum? dic Sallustianum. Gravis sum? Cæsareanum voca. Brevem Velleii, nitidum Curtii, floridum Barclaii asseclam nomina, vel cum Gottschedo (mihi ceteroquin verè & magni, sed cum delectu æstimato) argue. Nullum si aut sequor aut assequor, humanum appella. Nomen, quod ambio, dabis, Fenelonianum si dixeris, qui sit interpretis officium, quantum decebat fabulam delectandi & docendi causa concinnatam, secutus.

Equidem nudis verbis non adhæsi religiosius. Errant, qui ex verborum situ, non mente scriptoris versam sententiam æstimant. Aliud doctissimus

PRÆFATIO.

Buchnerus *a* exigit, dum iubet ita verti sententiam, ut non in alia, ac in quam transfertur, lingua scripta esse propemodum videatur. Quid? quòd Venusinus *b* vetat fidum interpretem verbum verbo reddere; ut mirari debeam, cur Germani Parnassi decus illustrissimum Beniam. Neukirchius *c* doleat copiam tum necessitate metri tum naturalinguae vernaculae sibi præreptam Fenelonii verbis singulis inhærendi, nisi ægre ipsi fuerit ob pretium delicatissimi Gallicismi eadem privari.

Ego certè per licentias privilegiâque interpretum audacter aliàs libitu meo vagabar, aliàs styli & Latinitatis ingenio. Multabam nonnulla poetico fastu, salva rerum integritate, ut soluta oratio luxuriaretur minùs. Nonnullis per Synecdochen commodiora substitui. Ita pag. 3. Cedrum miraberis succrevisse Quercui; quoniam in prosa existimabam similitudinem præstantis fœminæ & Deæ à cedro, quam quercu aptiùs duci.

At quid si, dum in alio factum coërcui, ipsa mea oratio agatur tumoris & quæsitæ venustatis rea? Non dubito fore subinde de utroque suspectam. Sed est certum, quid respondeam. Auctorem habebam præ manibus, cui inest vis, copia, acumen troporum sermonis Gallici, quantum ad æquari nullâ credebatur linguâ posse. Eò igitur erat incumbendum, ut hæc quàm plurimis eximeretur opinio;

Ne *d* virtute foret, clarisve potentius armis,
Quàm linguâ, Latium.

Unde

a Orat. 2. de Exerc. Styli. *b* In art. poët. *c* In præf. Telemach. germ. carm. *d* Horat. in arte.

PRAEFATIO.

Unde multum abest, ut parcior debuerim ad-
spargendis linguæ Latinæ deliciis esse. Quin lar-
giorem eius rei me credebam fore sine piaculo,
quoniam multa nisi per tropum efferre Latini non
possunt. Et quanquam ex sæpe citati Poëtæ confi-
lio quædam ambitiosa ornamenta recideram, putà,
quæ ex asse erant poëtica: tropos tamen recidere
nec volui, quoniam exempla eorum nec in hi-
storicis ætatis aureæ desiderabam; nec debui, quo-
niam interpreti convenit, quàm fas est, æquis
passibus sequi.

Iam præfationi statueram finem: cùm ecce! Te-
lemachus mihi offertur latino & heroico carmine
expressus, impressusque. Alia omnia expectave-
ram, movebarque initio. Involabam in opus am-
habus manibus. Cupido erat noscendi auctoris.
Celeberrimum Anonymum esse inveni. Suspica-
bar propterea plagiarium esse, Hæraultii poëtæ Gal-
lici venâ fraudulenter ditatum; Hæraultium enim
priores quinque libros carmine latino iam anno
1729. absoluisse ex Faramondo a didiceram. Vol-
vo itaque, revolve: libo prima, media, finem,
cetera. Legebam tetraastichon, quod aditum pan-
dit vasto operi:

Flebat adhuc Superum celsa de stirpe Ca-
lypso,

Se malè relictâ, discessum insignis Ulyssis:

Cura hæc prima, Deam se, non mortalé-
que Numen,

Æternumque atrox secum per pectora vul-
nus.

a 3

Facile

præfat. ad Telemach. Germ.

P R Æ F A T I O.

Facilè tum auctorem istum plagii suspitione absolvi. Desiderabatur à me, quam Juvencius *a* cum Gallis suis in Epopœia requirit, perspicuitas, suavitas, accurata dictio, numerus poëticus. Pergebam tamen, memor, equos etiam optimos subinde initio peccare incessûs:

Tristia squalabant vocis conclavia blandæ
Cantibus assueris viduata, silentia Nymphis
Imperitabat heræ mæror: Diva ipsa stupebat,

Solâque formosos, æterno & vere virentes
Intrabat campos: oculis intrabat at udis.

At ego tum in eam ingrediebar cogitationem, ob tumorem aut affectarum decus nunquam fore, ut poëtam hunc ad moriotrophium clarissimus Gottschedus amandet. Et absit, ut amandem ego. Rem magnam vir præstitit, quod totum Telemachum pertexuit carmine; maiorem, quòd latino. Imò tum ob sparsam passim copiam poëticæ & Virgilianæ dictionis, tum ob vim satis acrem cogitandi rem mihi videbatur præstare maximam potuisse; ut & suavitas, & accurata dictio, & numerus, ceteraque heroicam translationem eius, ut illam Neukirchii, dignam planè & æqualem exemplari suo reddidissent. Verùm peracto utecunque etiam labore dulcis quies. Et quotumcunque scriptum est, quod suadente Horatio emendandi ergo nonnum prematur in annum? Sed nec ego meum tam diu pressi. Multa emendaturus, id si vacâset, eram. At neque tunc sine errore prodisset tum typographi, tum maximè auctoris. Impossibile Crates dicebat esse, quemquam inveniri, qui nunquam

a In Institut. poet.

PRÆFATIO.

quam lapsus sit: sed veluti in malo punico granum
quoque aliquod putrescere a. Quod quidem vi-
rium cum non obstet, quò minùs mala punica ver-
semus manu: utique nec meum hoc opus tua, be-
nevole Lector, dedignabitur manus. Lege itaque
amanter: iudica sobriè: fave, quantum
meretur, &
vale.

Lært. in Polyanth. Langii.

